DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
CONVULSIONES
INFANTUM,
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS AC DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Franciscus Ser. Molitor,

Moravus Plumloviensis. Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in palatio Academiae Josephinae die 30 mensis Novembris 1842.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

SPECTABILI AC DOCTISSIMO

Domino Domino

AMICORUM DILECTISSIMO,

COLLEGAE ORNATISSIMO

ANTONIO SCHOLZ,

Medicinae et Chirurgiae Doctori,

OBSTETRICES ET OPHTHALMIATRICES MAGISTRO, INCLYTAE LEGIONIS PEDESTRIS PRINCIPIS GUSTAVI WASA Nro. 60 MEDICO CASTRENSI SUPERIORI

etc. etc. etc.

HOC

SPECIMEN INAUGURALE

UT

PUBLICUM GRATITUDINIS

MONUMENTUM

dedicat

Auctor.

Conceptus morbi.

Nomine convulsionum sensu latissimo intelliguntur spasmi clonici seu motus convulsivi i. e. contractio musculorum morbosa violenta intercedente brevi relaxatione. Sub convulsionibus sensu strictissimo, imprimis dum de illis infantum agitur, plurimi auctores *eclampsiam* subintelligunt, dum e contrario alii iterum differentiam inter utrumque morbum stabiliunt, adfirmantes, in eclampsia conscientiam magis obrui, atque interna corripi organa. Arduum autem esse negotium in infantulis distinguere, num conscientia superstes sit, nec ne, cuique facile patebit, qui symptomatum in morbis infantum imbecillitatem et parcitatem rite fuerit contemplatus. Hicce convulsiones infantum pertractantur, qua morbosa involuntaria et velox vicissitudo inter contractionem ex expansionem musculorum voluntariorum. Hoc sensu convulsiones Germanis Fraisen, Gichter, der Jammer, der schlagende Jammer audiunt.

Diagnosis.

Convulsionibus plerisque in casibus definiti sunt prodromi, rarius prorumpunt ipsae. Prodromi sunt se-

quentes: Infantes anguntur inquietudine, modo huc modo illuc sese jactitant, solito crebrius illacrymantur, apprehendunt avide et postmodum subito mammam gementes vociferantesque remittunt.

Post aucta paulatim haec phaenomena prima convulsionum ipsarum signa intrant: sive fugit omnis aegros pauperculos somnus, sive qui conceditur, quiete omni privatur, semiclausisve, distortis aut rotatis oculis peragitur; faciei musculi tremunt, ad subrisum distenduntur; aegri expergefiunt postea extemplo cum clamore subitaneo; lineamentis oris angorem pavoremque designantibus, crebro faciei colore variante, stridentibus dentibus, anxie absolvi solito respirio. Crescunt, ni forte causae occasionales expediantur, phaenomena numero et intensitate, adparent oscitationes, pandiculationes, nictitatio palpebrarum, vehemens bulborum rotatio, linguae, artuum tremores, trunci concussiones. Insultu diutius protracto turgere et rubere facies, os spuma obduci, corpus aut sudoribus obtegi, aut frigori percelli solent.

Hos inter cruciatus vel nullam aegri edunt vocem — *convulsiones taciturnae* — aut clamorem effundunt gemibundum, penetrantem — *Convulsiones clamosae.* Ad summum evectae ejusmodi convulsiones gradum aut ipso sub insultu infantulos necant, aut, pulsu iterum reduci, quieti et somno restituto, pedetentim minuuntur. Ex tali vero turba insigni, repetita adhuc certius, infantes tenelli adspectum faciei collapsae pallidaeque tristem morosum, nec non caeruleos circa lumina circulos reportabunt.

Divisio.

Convulsiones quoad originem dispescuntur in substantivas seu autonomas, quae per se morbum ipsum efficiunt, nulloque alio producuntur — et in derivatas, quae propagines sistunt morbi alius et omnium frequentissime occurrunt. Huc pertinent et sympathicae, metastaticae et traumaticae. Quoad typum distinguimus attypicas, quae indeterminatis intervallis recrudescunt et typicas, quae definito tempore recurrunt. Quoad extensionem adnotamus locales et universales. Ad priores referimus nictitationem palpebrarum, risum sardonicum, stridorem et strepitum dentium, tremorem localem, subsultum tendinum.

Juxta characterem dividuntur convulsiones in tales, quae e viribus systematis sensiferi exaltatis — *sthenicae* — dein in tales, quae ex iisdem viribus depressis — *asthenicae* — redundant, et demum in illas, quae cum viribus suppressis duntaxat incedunt. Cunctas etenim convulsiones qua signa debilitatis praesentis declarare admodum Brownianismum redolet; jamjam eximius Reil et characterem hypersthenicum ingenue defendebat, quem revera persaepe in infantibus robustioribus, bene nutritis, plethoricis inveniendi occasio exhibetur, si in illis stimulus quidam positivus actionem nervosam irritans e. g. sanguis largiori unda ad encephalon adpulsus; animi turbae excitantes statum convulsivum sollicitaverint, qui insuper notatur pulsu pleniore, duro, valido et methodo antiphlogistica et derivatoria subigitur. Sed obruitur etiam quandoque et praepeditur actio nervorum per obstacula mechanica in cerebrum, medullam aut plexus nervorum, nervosque

singulos infense agentia, quibus vero remotis actio vitae nervosae incorrupta atque integra emergit; exemplo sit convulsio e sero aut sanguine cerebrum obruente. Reticendum tamen non est, frequentissime characterem asthenicum minari, qui e sensilitate nimia, stimuli impatientia summa, reactione exigua debili mox exhaurienda palam fit. Istiusmodi convulsivi motus infantulos tenellos, exhaustos, confectos praveque nutritos lubentissime eligunt, stimulisque aut subtilissimis alioquin aut defectu consuetorum et necessariorum procreantur. Sunt tamen convulsiones, quae sub manifeste opposito statu vitae nerveae pariter intrant e. g. tremor, qui aeque ex irritatione per spirituosa remedia, hypersthenia faventia, ac e summa debilitate scaturire animadvertitur.

Aetiologia.

Disponit ad hunc morbum teneritudo quaedam et receptivitas eminens systematis nervosi, quae plerumque debilitati jungitur, ast nullatenus vinculo necessario. Hanc receptivitatem eximiam systematis nervei asthenia nuptam, quae Nevrasthenia cum erethismo apte nuncupatur produnt: structura corporis tenera et gracilis, fibra muscularis tenuis absque energia, ossa tenuia, minus firma, cutis mollis, nitide alba, capilli flavi, pulsus molles, debiles, frequentiores, animi dotes vividiores. Hanc vero corporis constitutionem vel a) haereditariam et adnatam vel b) acquisitam esse experientia nos luculenter docet. Ex utero materno jure quodam haereditario secum sumit dispositionem hancce infaustam infans generatus parentibus,

spasmis multum obnoxiis, aut editus matre delicatuli admodum mobilis systematis nervei participe. Haud raro cunctae a certis parentibus progenitae proles certa propemodum aetatis periodo convulsionibus, quid imo iisdem quandoque formis tentari cernuntur. Adnata saepenumero observatur ad spasmos clonicos dispositio, si scilicet intra graviditatem varia animi pathemata, praecipue deprimentia, prava vivendi ratio, profluvia morbosa vel aliae aegritudines matris aut pressio mechanica in foetu normalem cerebri et reliqui systematis sensiferi evolutionem praepediunt. Acquisita dispositio repetitur ex atmosphaera humida et frigida, eo magis adhuc ex humida simulque calida, educatione absurda delicatula, molliori, animi intentione praematura, incremento corporis praecociori. Infantes vix partu editi prae adultioribus, puellae prae pueris, infantes evolutioni physiologicae modo subjecti prae aliis majorem ad morbos convulsivos dispositionem prae se ferunt. Jam Celsus enimvero docebat: „Omnis pueritia primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur."

Dispositio vero, quae innititur receptivitati systematis nervei exaltatae cum vi vitali adaucta, hypersthenia nervosa recentiorum, sese manifestat per musculos firmiores, ossa robustiora, sensuum aciem, phantasiam vividam, pulsus velociores, plenos, fortes, reproductionem validiorem. Quodsi haec systematis nervosi indoles convulsiones procreaverit, pervigilium, in adultioribus delirium vivax, oculi micantes, adspectus minax, turgor vitalis morbose auctus vix deficiunt. Hic status pyrexiis inflammatoriis, quas topica phlogosis aut symphoresis cujusdam nervis vel summopere sensilis organi comitatur, uti cerebri, medullae

spinalis, diaphragmatis, ventriculi, aut febribus exanthematicis sub eruptionis opere jungi solet.

Causae morbum tractatum excitantes facilioris conspectus gratia in physicas et psychicas subdividuntur.

a) Causis nocivis physicis adnumerantur iterum:

1. Peculiaris aëris atmosphaerici constitutio, praeprimis talis, sub qua humiditas cum aestu majori incedit, caeterum et calor et frigus excedens, temperaturae vicissitudo repentina; huc quoque recenseas humiditatem linteaminum et lectuli ipsius.

2. Venena omnis generis, sic inter narcotica opium, semina papaveris contusa, decoctum capitum papaveris, theriaca infantulis inepte ad quietem conciliandam saepe in perniciem propinantur; fortuito etiam usus nucleorum amygdalarum amararum, persicorum et prunorum vel denique doses narcoticorum incongrue a medicantibus ordinatae convulsiones toxicas gignere valent; clysteres subinde, quibus dosis inepta opii addita fuit, convellendis infantulis viam stravisse visi sunt. Saepius adhuc venena acria in culpa sunt, uti: Sublimatum, antimonii et plumbi praeparata, arsenicum, aerugo, lapis infernalis, carbonas et murias barytae, acida concentrata, semina sabadillae, gummigutta, euphorbium, aconitum, cantharides etc.; dum hae substantiae aut casu, aut ex permutatione, aut ex propinatione sub medicaminis titulo per dosim tamen inconvenientem in organismum infantilem agunt. Ad venena narcotico-acria motus convulsivos creantia pertinent inter alia multa praeprimis belladonna, conium, bryonia alba, anagallis arvensis, digitalis purpurea, nux vomica, folia tabaci, fungi venenati.

Venena quoque quorumdam animalium aut esu aut morsu aut ictu nocentium huc referenda.

3. Nutrimenta et potulenta quoad nimiam quantitatem aut qualitatem aut pravam miscelam peccantia. In infantulis aetate minimis lac nutricis nimis pinque, nimis vetustum aut peculiari modo animi pathematibus vehementioribus, erroribus gravibus diaeteticis matris, alienatum, corruptum, lac animalibus petitum morbo adfectis, nimium vetustis, impurum; in infantibus aetate majoribus pultes farinaceae, panis vilioris notae, fructus horaei, cibi farinacei pingues, cibi multis condimentis onusti, potulenta spirituosa hac ratione perniciosam vim edunt.

4. Corpora aliena, quae influxum nocivum in organa sensibiliora nervis copiosis donata exserunt, quae iterum vel ab extus organismo ingeruntur vel intrinsecus generantur. Huc pertinent: Sordes gastricae, acida et vermes in primis viis, meconium retentum, faeces duriores, flatus reclusi, calculi urinales; porro corpora alia peregrina diversis corporis partibus inhaerentia e. g. frustula ossium fractorum mollioribus partibus intrusa, acus aliave corpora deglutita etc. Porro serum aut sanguis aut pus in cranii cavitate collecta.

5. Laesiones omnis generis, quae aut immediate aut mediate cerebrum, medullam aut ramos nervorum adficiunt. Tales ictu, impulsu, lapsu, impressione ossium cranii, luxatione vertebrarum, fractura, distensionibus, commotionibus contingere solent. Nonnumquam funiculi umbilicalis nimis matura in neonatis deligatione ut eximius Neumannus adnotat, convulsiones adducuntur.

6. Vitia organica, uti sunt: exostoses, structura ossium cranii abnormis, incurvationes vertebrarum substantiae nerveae indurationes, tumores cystici, tubercula. His vitiis cerebrum, medulla spinalis, vel majores nervorum rami opprimuntur, distrahuntur et contorquentur.

7. Stimulorum consuetorum aut ad vitam sustentandam necessariorum aut defectus aut imminutio notabilior, uti nutrimentorum et potulentorum, sanguinis ob haemorrhagias, succorum inquilinorum ob diarrhoeas profusas, materiae organicae solidae ob suppurationes largas, defectus somni recreantis etc. Hic quoque metastases exanthematum atque impetiginum nec non suppressiones secretionum et excretionum consuetarum adduci debent; tali modo sudores suppressi, salivatio aut otorrhoeae praecoci manu suppressa, scabies, herpes incaute repulsae vel retrogradae.

8. Morbi graviores ingruentes aut jam praesentes; eruptio exanthematum uti variolarum, morbillorum, rubeolarum, febres gastricae, catarrhales, nervosae. Febri intermittenti convulsiones duplici modo necti possunt; illam nimirum vel comitantur, vel et febris sub schemate convulsionum apparet. Inflammationes aut statum subinflammatorium organorum sensilium nervis ditissimorum aut cerebri, medullae, meningum, nervorum ipsorum, dysodontiasim consuetim motus convulsivi comitari consuescunt.

b) Causis nocivis psychicis accensentur:

1. Sensuum externorum incitatio excedens, uti per odoramenta fortiora, per strepitus sonosque intensos.

2. Dolores aliaeque sensationes ingratae. Hinc oriuntur convulsiones sub operationibus chirurgicis dolorificis, post laesiones, contusiones, fracturas, sub intertrigine subinde et sinapismis aut vesicantibus cuti sensili applicatis, ex difficili testiculorum descensu, otalgia, anuria.

3. Animi adfectus sive excitantes sive deprimentes praeprimis ira, terror, pavor, adspectus infantum aliorum convulsorum.

4. Mentis intentio nimia, viribus non consentanea.

Officio Causam proximam convulsionum ad amussim enucleandi, tironis non sufficient vires, cui in arte peritissimi et expertissimi absque eminente quodam fructu insudarunt. Effantur quidem, sub convulsionibus pugnam quamdam inter expansionem et contractionem in systemate musculari geri, ast motus ille abnormis symptoma duntaxat morbi est, qui ipse profundius in systemate nervoso residet. Quanam autem proprie ratione qualitativa hujus systematis vita a tramite justo declinet, ut musculi imperio consueto sese subducant, talique pacto lex vicissitudinis aequabilis inter singula motus momenta nec non integer singulos motus ipsos violetur atque tollatur — illud assignare haud valebimus, nisi phantasiae ludibria pro axiomatibus vendere conemur.

Duratio et terminationes.

Insultus nonnumquam per pauca minuta durat; nonnunquam per quadrantem, mediam horam et ultra.

Haud raro insultus per breve quidem tempus infantes adoriuntur, verum tamen saepius recurrunt, ita ut morbus ipse decursum chronicum per plures menses observet. Quo acutior decursus eo magis transitorius suspicari licet; quo longius morbus decurrit, eo magis a causis permanentibus, a vitiis organicis convulsiones oriuntur et hac ex causa sanitatem relativam minus adgrediuntur. Sub decursu longiori plures convulsionum formae occurrere et se invicem excipere solent; leviores plerumque praecedunt, graviores pedetentim irrepunt.

Exitus convulsionibus triplex patet, vel 1. in sanitatem vel 2. in alios morbos vel 3. in mortem.

1. In sanationem abeunt duplici via; vel *a*) tum cito et immediate tum per crisim apertam, vel *b*) per lysim. — Causa occasionali e. g. vermibus intestinalibus remotis, extemplo quandoque Convulsionibus finis imponitur. Crisibus judicari animadvertuntur quae febrim aliquam aut inflammationem commitantur aut his sustentantur. Lente et paulatim in sanitatem abeunt, si nervorum turbae successive demum componi queunt e. g. illae ex animi pathemate ortae.

2. Transitus in alios morbos fit iterum triplici via: *a*) in spasmos tonicos, uti in tetanum; *b*) in paralyses et pareses, Cophosim, amaurosim, amblyopiam, alaliam, strabismum, distorsiones musculorum faciei; *c*) in fatuitatem, amnesiam, amentiam.

3. Infausto omine terminantur in mortem idque duplici modo: *a*) immediate per paralysim, exhausta penitus vi vitali aut per apoplexiam sub congestionibus versus cerebrum validioribus; *b*) mediate, dum in alias morborum formas lethiferas delabuntur.

Prognosis.

In convulsionibus infantum praesagium pronunciare arduum et anceps est negotium, partim cum experientia constet, infantes per integrum subinde annum quavis fere septimana conquassari, nihilominus tamen sanitati iterum reddi, dum naturae vires, justum regimen arsque auxiliatrix irreparabiles organisationis labes arcebant; partim autem proh dolor! saepius nimium confiteri cogimur, vix ullum atrociorem infantili curriculo magis terribilem inveniri hostem ac illos ipsos motus convulsivos, qui cum vix adorti essent tenellum, confestim saepius et inopinate trucidant. — Quae tamen ad prognosim quadamtenus firmiorem construendam medico suppeditantur momenta dilucidantia atque determinantia, haec circiter essent.

1. Causae producentes. Si ullum momentum medici circa aegri futuram sortem effatum dirigere ac confirmare valet, illud absque dubio in causa procatarctica quaerendum erit, quae si erui atque amoveri potest, laetiorem statim, sin minus, infaustam et tristem reddit prognosim. — Ita minus periculosas accenseas illas convulsiones, quae ex ingestis pravis, et helminthis, ex acidis primarum viarum propullularunt, aut quae penitus cessare vel mitescere saltem solent, quam primum noxas istas eliminaveris; itidem minus periculosas autumes illas, quae eruptionem exanthematum annuntiant, et quae refrigerio admisso ortae sunt, quoniam illae, exanthemate vigoris stadium adepto, hae cutis functione restituta solvi consuescant. Terrent autem convulsivi motus dentitioni difficili accedentes, quum vita ob minantem apoplexiam magnopere periculo

obsideatur; terrent porro magis adhuc e formatis jamjam extravasatis in encephalo procedentes. In summo quoque periculo versatur vita, si alienationes massae organicae cerebri, medullae spinalis aut regionum proximarum, si laesiones ibidem aut nervis illatae, si cerebri inflammatio aut commotio, si profluvium humorum majoris momenti, si denique suppressio exanthematis subitanea convulsiones procreaverint. Febrim intermittentem comitantur, illam mali moris esse arguunt.

2. Decursus et symptomata. Haec momenta in prognosi statuenda non adeo securam largiuntur ducem ac causa occasionalis; nam uti supra monui, repetitae per sat longum tempus convulsiones non necessitatis lege infantulos conficiunt, dum e contrario invasio prima, eaque levioris gradus frequenter citam necem adduxisse animadvertebatur. Omni tamen valore prognostico haec momenta destituta esse, nequis credat, et generatim effari licet, invasiones breviores atque rariores non tantopere esse timendas, ac diuturnas brevique in intervallo sese excipientes. — Symptomata quod attinet, spasmos infantum oculis apertis et ingruente mox sudore viscido frigidoque, invita alvi depositione junctos longe periculosissimos esse constat.

3. Aetas et constitutio. Consuetim periculum eo intensius, quo brevius a nativitate abest infantulus, constitutio minus quam primo intuitu credas, hicce locorum determinat, non infrequens etenim est animadvertendi occasio, pusillos, admodum debiles, teneros levissimis causis violentissime convelli atque exstinqui, alios ejusdem habitus mirum in modum diutius spasmis vexari, quin sanitatis restitutio impediatur. Quanto

ex altera parte numero infantes robustiores; succipleni primo jamjam recentique insultui succumbunt.

4. Extensio. Locales et ad parvam plagam restrictae in genere minori periculo stipari solent ac supra regiones amplas extensae aut corpus integrum conquassantes.

T h e r a p i a.

Summi momenti esse videtur curam sub paroxismo et extra paroxismum distinguere.

A. Cura sub paroxismo.

Aeger quibusvis vestimentis exutus, relaxatis aut repositis fasciis deligatoriis arctantibus quantocyus capite subrecto reportetur in lectum latum, molliorem, ne ex illo delabatur aut concussus laedatur. Convulsa fortuito simul lingua a morsu defendatur spleniola lintei convoluta aut corio quidpiam crassiori aut lingno subereo inter dentes insertis. Mos, aegrum firma manu detinendi qua insulsus et nocivus omittatur. Aëris puritas per quantum fieri potest, conservetur, odoramenta fortiora vitentur, qua de re etiam adstantes superflui foras mittantur, quorum praesentia aeger alioquin angeretur. Impedita sub paroxismo ut plurimum deglutitio remedia interna non admittit. Externe sufficiat acetum vini naribus admovere, tempora frontemque lavare, faciem repetitis vicibus aqua adspergere. Condemnandus vero generatim mos, labia infantis odoramentis volatilibus illiniendi, ut quibus vomitus aut

sternutatio violenta aut in plethoricis apoplexia sanguinea cieri posset. — In convulsionibus, e debilitate universali, exhausta systematis nervosi efficacia scaturientibus, acetum aromaticum, qua odoramentum, balnea universalia tepida, herbis aromaticis imbuta, clysteres ex infuso flor. chamomillae, valerianae cum assa foetida aliisque hujusmodi usurpare licet. — Quodsi autem convulsiones ortum ex encephalosymphoresi prodant, illave incedant, derivantibus quam maxime confidendum; opponantur fermentum panis vel sinapismi ad extremitates inferiores, injiciantur enemata ex aqua saccharo remixta, oxymelle simplici, pauxillo aceti aut salis culinaris; propinetur, si fieri potest, pediluvium e decocto seminum sinapis, e cineribus, sale culinari et aquae justa quantitate; malo nimium protracto, alte evecto, signisque imminentis apoplexiae nullatenus a sanguinis evacuationibus abhorreat medicus, verum quantocyus hirudines capiti apponi et postmodum fomenta frigida super haberi curet.

B. Cura extra paroxismum.

Infantum convulsionibus medenti duplex incumbit officium.

1. Ut causam excitantem aut morbum suppositum eruat atque profliget. Multis sane difficultatibus hocce premitur conamen; adeo profunde enim haud raro delitescit malum quoddam, adeo personatum est, aut insufficientibus aut dubiis proditur signis, ut solummodo arte semiotica egregia instructus secure agere valeat, nihilque magis hic conducat, ac completae anamneseos respectus. — Pro variis tunc causis sedulo erutis, diversa medendi methodus exercenda erit, ut nunc eva-

cuans, nunc derivans, nunc antiphlogisticum et s. p. correspondeat. — Abactis vero feliciter causis, aut fugato primario morbo, in plerisque casibus sua sponte convulsiones disparent, viribus tali modo vel liberatis, vel juste moderatis. — Quodsi autem causa inveniri et tolli morbusve protopathicus sanari nequeat.

2. Agendum, ut morbosa systematis nervosi receptivitas aut cum vi fracta aut ea alacriori incedens compescatur. Hic demum nobis praesto esse debent remedia illa, quae experientia in plurimis convulsionum casibus qua salutifera probavit, et quae sub antispasmodicorum nomine collaudantur, nervina utpote stimulantia ex una, narcotica ex altera parte, prouti vires sensiferae erigendae aut sopiendae sunt. Continuo sub eorum usu gradus et character morbi, nec non complicationes, conditio systematum aliorum respici debent.

Medela sub causis nocivis physicis.

Si refrigeratio convulsiones produxerit, cutis munus laesum pharmacis diapnoicis et diaphoreticis cum emollientibus, externe sinapismis, pediluviis aut balneis universalibus emollientibus tepidis restituere insistimus. Calore nimio productae solito congestionibus ad organa nobilia quidquod eorum phlogosi uniuntur, tumque refrigerantium, antiphlogisticorum usum jubent.

Venena ingesta, deglutita, comesta oleo, butyro, aqua saponacea, lacte, melle, involvuntur, mitigantur,

corriguntur, narcotica imprimis acidis vegetabilibus subiguntur, et cuncta demum emeticis eccoproticis, clysteribusque expelluntur; symptomata congestionis aut inflammationis apparatu antiphlogistico pro re nata modificando uti jubent.

Nutrimenta et potulenta indigesta in tubo alimentari morantia evacuantibus opus habent. Emetici usum dictant adfectiones in ventriculo prae illis intestinorum praedominantes, evacuationum sursum productarum et encephalo-symphoreseos notabilioris absentia. Plethora, congestiones manifestae, si emesis evitanda non est, hirudinum adplicationem praeviam expostulant, vomitus jamjam praesens aqua tepida porrecta aut titillatione palati mollis sustineri potest. Ipecacuanham forma pulveris ad gr. 3—10 pro dosi aut infusi dosi majori lubenter sub simultanea diarrhoea praeponimus.

Tartarum emeticum autem forma solutionis ad gr. 1—2 aut vini stibiati unciam semis ad cochlearia coffeana sumendam praescribimus. — Sub signis saburrae deorsum turgescentis, necessarius evadit purgantium selectus. Correspondent autem infantili organismo syrupus mannatus aut cichorei cum rheo, tinctura rhei aquosa, hydromel infantum, electuarium lenitivum, clysteres aperitivi. Apprime lac nutricis graviter alienatum infantulo porrectum emetico aut purganti quantocyus eliminandum, ipse vero ne prius uberi iterum adponendus, donec lac residuum ex ubere eductum fuerit, aut animi turbae complacatae. Saepius vel nutricem mutare, vel infantem artificiali modo nutrire oportet.

Cruditas acida tollitur sic dictis antacidis, absorbentibus, sapone veneto, magnesia carbonica, pulvere

lapidum cancrorum, rheo ejusque syrupo, carbonate lixivae alcalino. — Meconii retenti causa porrigitur infantulo convulso laxans conveniens et injiciantur clysmata ex aqua tepida cum saccharo, donec faeces non amplius nigrescentem manifestant colorem. — Helminthiasis suis signis notis dignoscenda, remedia anthelminthica expostulat, tumque talia, quae tono intestinorum augendo ulteriorem vermium regenerationem praepediunt. — Faeces duriores mechanico modo laedentes purgantibus et clysteribus accommodatis eliminamus. Sub flatulentiae statu aërem reclusum exterminare ejusque collectionem morbosam ulteriorem impedire debemus; priorem finem attingimus eccoproticis, magnesia carbonica, tinctura rhei aquosa, aqua chamomillae, foeniculi, anisi, cinnamomi simplicis; externe fomentis siccis calefactis abdomini impositis, inunctionibus aromaticis similibusque enematibus. Diaeta simul cum hac medela conspiret, omnesque potentiae avertantur, quae colligendis in tubo alimentari flatibus ansam largirentur. Regenerationem aëris morbose inclusi ut arceamus, per longius tempus cibos potusque noxios vetare, frictionem abdominis levem cum panno vaporibus aromaticis imbuto, aut inunctiones aromaticas suadere oportet, propinatis simul remediis internis leniter roborantibus. — Si infans per calculos urinales perque dolores his creatos convelleretur, stimulus ille inimicus deleatur aut saltem sopiatur. Adhibeantur quamobrem praesente statu inflammatorio depletiones sanguinis topicae aut pro necessitate universales, remedia antiphlogistica, emollientia, oleosa mitia vitatis omnibus salibus. Sub statu mere spastico oleosa cum lenibus narcoticis junguntur. Tempore intercalari periclitari licet, calculos operatione chirurgica removere, quod cum votis non fors cedat, remedia lithontriptica sic dicta tentamus, hujus generis sunt

sapo medicinalis, acidum carbonicum, sales carbonici, adprime carbonas magnesiae, aquae minerales alcalinae, aliaque. — Corpora aliena e. g. cavo narium, meatui auditorio intrusa, in faucibus haerentia debent illico removeri, deglutita inimice agentia, saltem obtundi, si ejici nequeant. — Quodsi hydrocephalus internus culpam convulsionum gerat, medela confestim contra istum dirigitur, et remedia, quae ratio quam maxime praestantia vindicat, calomel videlicet et digitalis, externe vero unguentum hydrargyri cinereum, clysteres derivantes, et in chronica potissimum specie vesicantia in usum recipiuntur. — Encephalopyosis e praegressa encephalitide plerumque artis auxilio illudit. Adparente ad radicem nasi pressione continua, vapores emollientes naribus attrahantur, et hoc modo fors evacuatio puris ex abscessu per nares efficiatur. Si malum ex inflammatione traumatica ortum sumsisset, simulque sedes abscessus certe assignari queat, quidam medicorum trepanationem ipsam suadent, qua instituta pus evacuaretur. Pyorrhoeam ex auribus naribusque remediis emollientibus externis sustinere ejusque disturbationem quam cautissime arcere oportet. — Apoplexia sanguinea in neonatis sub asphyxiae plethoricae forma hinc inde occurrens; alias e terrore vehementi, laesionibus traumaticis, sat raro quidem orta, consuetim convulsivis motibus stipatur. Ex neonati asphyxiam plethoricam offerentis citissime resecto funiculo umbilicali 2—3 cochlearia cibaria sanguinis emittuntur, pectus aqua frigida inspergitur, frons, tempora naresque aceto vini illiniuntur, clysmata et balnea tepidula in usum vocantur. Apoplexia terrore aut congestionibus majoribus producta, sanguisugas, fomenta frigida, capiti imponenda, clysmata irritantia, sinapismos ad extremitates inferiores, interno vero usui refrigerantia, eccoprotica efflagitat.

Convulsiones ex detractione aut imminutione incitamentorum aut consuetorum aut necessariorum, horum in genere restitutionem deposcunt. Infantibus esurientibus et sitientibus nutrimenta et potulenta sufficientia procurentur, quamobrem in specie nutrices lacte parciori praeditae cum aliis, quarum mammae humore hoc altili largo refertae sunt, commutentur. — Haemorrhagiae, diarrhoeae, suppurationes profusae convenienti methodo sistantur. — Vigiliarum protractarum causae, quantum fieri potest, removeantur. Convulsiones his momentis progenitae viribus systematis nervosi delapsis et receptivitati eximiae superstructae roborantia cum analepticis juncta requirunt, nisi vires, causis propulsatis, et stimulis consuetis aut necessariis restitus superstitibusque conservatis, sua sponte ad normam regredi cernantur. In metastasi exanthematum ante omnia causam repellere, tunc vero exanthema ipsum revocare medico incumbit. Remedia hic variant, pro diversitate potentiae nocivae, ut ergo mox diaphoretica, mox evacuantia, mox demum antiphlogistica propitia sint, efflorescentiam ipsam revocare conamur notis alioquin cutis irritamentis. Therapia metastasium alicujus impetiginis, vix a priori abludit, illudque solum adnotandum, remedia hicce non esse negligenda, quae impetigini alias opponuntur e. g. sulfur retropulsa scabie. Si excretiones suppressae spasmos clonicos posuerint, illae ut iterum expediantur, properamus, illudque pro casus diversitate modo sudoriferis, modo irritamentis dermatis, modo purgantibus tentamus.

Convulsiones, eruptionem exanthematum praecedentes charactere inflammatorio praesente antiphlogistica postulant; his solis non obedientes florum Zinci usum admittunt; convulsionum sub decursu exanthematum obviorum juxta characterem febris ipsius therapia dirigitur.

Febres gastricae, catarrhales nervosae, convulsionibus stipatae, pariter sibi alias convenientem deposcunt therapiam. Si autem remedia has febres debellantia convulsionibus delendis non simul penitus paria inveniuntur, derivatio a parte maxime irritata ante omnia procuranda, ut systematis nervei vitalitas aut incitata aut in vigore impedita liberetur, nisi asthenia vera et perfecta convulsiones procreaverit. Proficiunt quamobrem alviductiones leves, pediluvia aut balnea universalia medicamenta emollientia, mucilaginosa, flores zinci: Camphora autem, moschus aliaque hujuscemodi solummodo debilitati verae conveniunt. Febri intermittenti convulsionibus larvatae curam specificam opponere debemus, pro discrimine casus singularis, pro majori minorique periculo aut statim chinae praeparatis, aut praemissis antea emeticis, purgantibus et solventibus malum supprimere adnitimur. Inflammationes aut irritationes organorum sensiferorum aut nervis ditissimorum, quae fere semper convulsiones qua comites secum ducunt in infantibus juxta gradum sedem et complicationes modificandam curam antiphlogisticam necessariam reddunt. Dentitio difficilis, convulsiones nonnunquam generans, gingivae et systematis sanguiferi exagitatione insignita, refrigerantium quidquam emollientium purgantium antiphlogisticorum, nisi diarrhoea jam praesto sit, hirudinum et lenientium topicorum adplicationem deposcit.

Medela sub causis nocivis psychicis.

Si animi pathemata causam convulsionum sistant, omnia procul removere studemus, quae malo sustinendo augendoque paria essent. Caeterum regimen thera-

peuticum dependet ab indole adfectionum et statu virium. Congestiones versus encephalon remediis saepius jam recensitis restringimus. Phaenomena Nevroseos genuinae nullis stipatae congestionibus aliisque adfectionibus remedia serius adducenda, dum de cura convulsionum ipsarum per se spectatarum verba sum facturus, sibi vindicant.

Motus convulsivi ex nimia mentis intentione ante omnia remotionem aut saltem imminutionem laborum mentalium phantasiae vero moderationem necessariam faciunt; caeterum si congestiones emineant, therapiae prius propositae subjiciantur.

Expositis hucusque methodis, quas adhibere debet medicus in convulsionum infantilium therapia, ut causam excitantem aut morbum primarium parentem profliget, alterum officium pertractare accedo.

Cura convulsionum ipsarum.

Convulsionum charactere remediorum usus determinabitur.

Sensibilitas adaucta cum viribus systematis nervosi ultra normam exaltatis, quem statum angiosthenia comitari solet, medicamina deposcit, quae antagonistica systematis gangliaris, aut nervorum cutaneorum irritatione exaltatum organi sensiferi principalis statum deprimere valent, taliqne modo derivando prosunt; caeteroquin emollientia et oleosa non sunt negligenda. Speciatim nuncupari merentur: Ipecacuanha dosi refracta

flores zinci parca manu, ne vomitum cieant, propinati, infantibus nempe tenellis $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ gr. pro dosi omni bihorio repetenda. Lubenter Mercurius dulcis, quem cel. Gölis in spasmis infantum plerumque caeteris anteposuit remediis, quemque alii medici, imprimis autem Clarke summopere hic praedicant, cum floribus zinci jungitur. Zincum hydrocyanicum magis adultioribus accommodatum; Murias cupri ammoniacalis dosi $\frac{1}{8}$ gr. sensim augenda, optime mane et vespere post nutrimentum quoddam parcum sumendus tenerioribus infantibus rarius exhibetur. Externe clysmata aperitiva, vel pro circumstantiis leviter irritantia, cum saccharo, sale culinari, sapone etc.; balnea sive simplicia sive addito sapone, lixivio vulgari, sinapi; cutem irritantia, sinapismi, inunctiones cum unguento Autenriethii curam admodum promovent. In genere remedia derivantia in- et externa in convulsionibus infantum collaudanda.

Sensilitas adaucta cum viribus depressis pro re nata aut narcotica aut stimulantia expetit, prouti sensilitatem justo altiorem temperare, aut vim reagendi fractam erigere necesse erit. — Inter narcotica imprimis hyoscyamus infantili organismo correspondet; lubenter connubium extracti cum pulvere rad. valerianae, cum magnesia carbonica, cum floribus zinci porrigimus ad gr. 1 — 3 pro die forma pulveris aut mixturae aut clysteris. Opium cum debita cautela et recto tempore propinatum celebratissimum sistit remedium antispasmodicum praeprimis in casibus, ubi vomitus nimius, diarrhoea profusa, dolores vehementes simul terrent; illae tamen circumstantiae, quod opium congestiones facile provocat, quibus alioquin infantes convulsi facile tentantur, quod lubenter alvum obstipat, frequentique statui infantum saburrali haud convenit, ejus largiorem usum quodammodo limitant, suntque etiam

inter recentiores quidam auctorum uti **Jörg** et **Meissner**, qui opium ex medicamentorum infantibus porrigendorum catalogo exulandum esse adhortentur. Exhibetur autem de opio commodissime syrupus Diacodii, tinctura simplex et extractum; externe theriaca in usu frequenti remanet. Acidum hydrocyanicum et substantiae illud continentes, uti aqua cerasorum nigrorum, aqua laurocerasi etc., in praxi infantum vix unquam usurpantur, quum virtus eorum remediorum partim nimis impetuosa saepe evadat, partim non secure determinanda sit praeparandique modus diversus actionis discrimen magnum ponere soleat. — Inter stimulantia, quae facultatem imprimis reagendi nervorum debilem corroborent, concitato ut plurimum prius systemate sanguifero, justis hinc cautelis ordinanda, conveniunt praecipue flores chamomillae, radix valerianae, herba melissae, menthae, folia aurantiorum, semina anisi, foeniculi, quarum plantarum infusa potissimum et aquae destillatae vehiculo antispasmodicorum fortiorum inserviunt; inter efficaciora assa foetida (forma consuetim clysteris); castoreum ad gr. 1—4 pro die; moschus a gr. $\frac{1}{4}$—2 omni hora sub forma pulveris, in mixtura cum apto connubio. — Aetheres et ammoniacalia nimium sanguinis systema concitant, ut ergo nonnisi in casibus altiorem debilitatis gradum manifestantibus, eligi possint. Mitissima ammoniae praeparata, spiritus nimirum cornu cervi succinatus frequentiorem tamen adplicationem inveniunt. Laudatur denique ab auctoribus lixiva carbonica ad gr. 10—15 in aqua aromatica soluta, et simultaneus balneorum alcalinorum usus. Praeterea et hic clysteres, balnea et irritamenta cutis saepius memorata aptum locum inveniunt.

Diaetam determinat character convulsionum ipsarum. Adhucdum vero agentibus causis morbove primitivo

praesente, vitae regimen ad horum momentorum naturam modificatur. In genere tamen conveniunt nutrimenta facile dirigenda, justo ordine, aetati nunquam non accommodanda, aër purus, vestimenta debite tuentia, cubile modice calidum, motus corporis modicus et lectus, si illis detineatur, omnem refrigerationem defendens, somnus recreans, tranquille quantum possibile, servandus, sensuum et functionum mentalium quies serena et justa. Excretionum regularium continuus respectus est habendus.

Reconvalescentia, sequelas a convulsionibus fors remissas, pharmacis et nutrimentis correspondentibus exstinguat.

Literatura.

Beaumé, von den Convulsionen der Kinder und ihren Ursachen. a. d. Französ. Leipzig 1791.

Boer, X. H., Versuch einer Darstellung des kindlichen Organismus in physiologisch-pathologisch-therapeutischer Hinsicht. Wien 1813.

Wendt (Dr. Joh.) Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt. Breslau 1826.

Jörg (Dr. Joh. Chr. G.) Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten etc. Leipzig 1825.

Meissner, F. L. Die Kinderkrankheiten. Leipzig 1828.

Mükisch, St. A. Beiträge zur Kenntniss des kindlichen Organismus. Wien 1825.

Löbisch (Dr. J. E.). Allgemeine Anleitung zum Kinder-Krankenexamen. Wien 1832.

Neumann (Dr. Carl Georg). Von den Krankheiten des Menschen. Bd. 4. Berlin 1834.

Schwarzer (k. k. Rath und Professor). Handbuch der Geburtshilfe. 2. Theil. Pag. 289—291. Wien 1838.

Theses defendendae.

1.

Anatomia pathologica medicinae forensi plus quam practicae praestat.

2.

Peregrinatio multorum morborum medela.

3.

Cibus vegetabilis longaevitati magis favet, ac animalis.

4.

Nullum existit graviditatis signum infallibile.

5.

Existunt morbi pectoris non pauci nec stethoscopo nec plessimetro eruendi.

6.

Aqua strumae causam et remedium sistit.

7.

Morbus scrophulosus nostro aevo frequentior perperam vaccinationi adscribitur.

8.

Acarus scabiei pro effectu, non autem causa morbi habendus.

9.

Conducit somnus post pastum.

10.

Summum inter genitalia et oculum commercium vitale.

11.

Strictura urethrae ad impotentiam virilem ducit.

12.

Vinum stimulat et roborat.
